

21. Quod ipsum diligens etiam utriusque scripti Collatio evidenter confirmat: Siquidem utrobique non idem modò ordo ac series Articulorum sese offert: sed eadem fermè verba, phrasèsq; eadem subindè occurrunt.

22. Quæ causa fuit, ut ipsa Confessio, Carolo V. Imp. non prius fuerit oblata, quàm ad Lutherum, tùm Coburgi ad fines Franconiæ subsistentem, ab Electore judicanda & corrigenda suisset transmissa. Cuius rei testes sunt Electoris & Philippi ad Lutherum hoc de negotio scriptæ Epistola. Tom. 5. Ien. operum Luth. f. 21. Chytr. hist. fol. 30. Cœlest. f. 40. b. Hist. Aug. conf. pag. 136.

23. Tandem quoad Philippum, nec ipsius quoque laborem & curam in promovendo hoc opere silentio tegendam esse statuimus: quin tertias & postremas, ac ipsam quidem λέξις sive Elocutionem ipsi deberi existimamus.

III. Philippi Elocutio.

24. Is enim ceterarum Ecclesiarum Confessiones cum articulis illis Lutheri septendecim contulit, ac ex ijs omnibus breve illud syntagma fideliter elaboravit; quod postmodum Imperatori, prius tamen à Spiritu Lutheri (uti Philippus loquitur) revisum & approbatum, Protestantes obtulerunt.

Chytr. f. 19. Cœlest pag. 25.

25. Confirmat hoc ipse Philippus, sic scribens in præfat. Tom. 1. operum: Congessi simplici
A 5 cissi